

Heinrich Rahn August Meyer

Disputatio Inauguralis luridica De Austregis

[Rostock]: Kilius, 1657

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn73520439X>

Druck Freier  Zugang



Geschichte Austriens

H. Rahne (A. Meyer) 1/6

R. U. in. 1657.

DISPUTATIO INAUGURALIS
JURIDICA
DE
AUSTREGIS,

130

Quam
Divina favente Clementia,
Autoritate & Decreto Nobilissimi
Jctorum Ordinis in Illustri ACADEMIA
ROSTOCHIENSI,


PRÆSIDE
Magnifico DN. RECTORE
VIRO

AMPLISSIMO, CONSULTISSIMO
HENRICO RAHNEN,

J. U. D. PROFESSORE & Ducalis Con-
sistorii Adfessore,
Fautore suo honorando,
Pro Summis in utroq; Jure honoribus
& Privilegiis Doctoralibus obtinendis,
publico Eruditorum examini

submittit
AUGUSTUS MENEX / SAXO,

in Auditorio Majori, Die XVII. Septembris,
horis ante- & pomeridianis.



Typis Heredum NICOLAI KILII, Acad. Typ. Anno 1657.

DEUTATRE INA IONNIBS
JURIDIC A
DE

1711

Academiae Scientiarum
Litterarumque
Borovniensis



WILHELMUS HALLERUS

1711

1711

1711

1711

1711

AUSPICE ET DUCE CHRISTO:

Prooemium.



Inter Jura ac Privilegia, quibus Status ac Ordines, Imperio nostro Romano-germanico immediate subjecti, decorati spectantur, non infimi subsellii illud est, quod AUSTREGARUM indigitatur privilegium: Cujus vigore, si forte anlite pulsandi veniant, non protinus ad Aulicum Caesaris, vel Camerae tribunal summum abripiuntur; sed Ordinationis nanciscuntur Judices, coram quibus causas suas gravissimas in prima instantia ventilare, ac brevi temporis spatio ad finem perducere possunt. Hoc, tanquam Summe Dignitatis ac praesistentiae suae indubitatum signum, tanti semper fecere Principes Imperii, ut non modo Imperatori Carolo V in Comitibus Anno 1521 Wormatiae, & Anno 1548 Augusta Vindelicorum, ut huic privilegio renunciarent, instanter urgenti, nullatenus adsentiri voluerint; verum etiam ut Austregarum jura salva ac illibata usque manerent, earumque violatores graviter ac severe punirentur, in Capitulationibus Caesareis, in Instrumento Pacis Caesareo-Specico, & novissimo Imperii Recessu Anno 1654 Ratisbonae promulgato, quam maxime sibi prospexerint. De hoc Austregarum Judicio, Materia, quamvis ardua ac multis controversiis involuta, scitu tamen maxime necessaria: utpote sine cujus exacta cognitione, quomodo inter Principes, aliosve Imperii Ordines, vel inter subditos & illos, jus rite reddi debeat, nulli constare potest; in praesenti paucis (cum hujusmodi Disputationibus ab Amplissima Juridica Facultate certus modus praescriptus) agere constitui. Esto igitur

THESIS I.

Vocabulum Austregarum quamvis terminatione videatur latinum, origine tamen germanicum est, deductum à vulgatis-
simo verbo *Austragen*; non quidem in propria & nativa sua
significatione pro exportare, efferre; sed translato pro disce-
ptare, componere, decidere, sumptò: quod coram iis lites seu Con-
troversæ ventilentur, componantur ac decidantur, *Das die streitigen
Sachen für denenselben rechtlich aufgetragen / das ist erörtert / vergli-
chen und entschieden werden / DD. Commun.*

II.

Hoc Austregarum Vocabulum non uno & eodem modo accipi,
sed varios sustinere intellectus, & *Primò* ipsum jus seu privilegium, vigo-
re cuius ordines privilegiatis his instantiis gaudent, denotare: *Secundò*
pro Judicibus qui hisce Instantiis præesse resq; in illis deductas determi-
nare solent, usurpari, *Tertiò* & propriè, uti hic, pro ipsis Instantiis pri-
mis sumi, in quibus certorum Ordinum, Romano Imperio immediatè
subjectorum, res controversæ ventilantur & deciduntur, docet Georg.
Schubhard *in suo tractatu de Austregis cap. 1.*

III.

Dividuntur autem Austregæ commodè in Speciales & Commu-
nes, argum. *Ordin Camer. part. 2. tit. 2. in princ.*

IV.

Speciales Austregæ, aliàs etiam Conventionales dictæ, sunt Or-
dinum quorundum Imperii Judicia specialia, ex conventionè, vel obser-
vantia, aut etiam certò privilegiò introducta, *Sonderliche gewilfährte
Austräge / Ordin. Camer. d. l.*

V.

Ejusmodi Austregas habere dicitur incluta Domus Saxonica cum
Rege Bohemix, Anno 1587. die 24 Octobris Pragæ initas; nec non
cum Domo Brandenburgica & Hassiaca. Solent quoq; tales Austregas
inter se constituere Agnati ejusdem familiæ, quæ dicuntur *Stam Aus-
träge*; quarum illustre exemplum habemus in prædicta Serenissima
Domo Saxonica, dum sese ad certas Austregas alligavit Naumburgi 24.
Februarii Anno 1554. Imperatoris Caroli V. conformatione roborat-
as. Item in Domo Palatina, Hassiaca, & aliis. vide Schubhard. *d. tract.
c. 8. n. 10. & seqq.* Sic solent plerumque Confœderati inter sese consti-
tuere

euere Austregas, ut, si qua inter Socios oriatur controversia, Iudices fœderis habeant; cuius exemplum refert Waremundus ab Erenberg *de fœder. l. 2. c. 2. p. 142.* Atq; hoc utile esse, docent Politici.

VI.

Habent quoq; nonnullæ Civitates Imperiales certas ac peculiare suas Austregas, ex speciali privilegio, vel præscriptione sibi acquisitas; Inter quas Argentoratum, Norimberga, Ratisbona, Eslinga, Swinfurtum, Reutlinga, & aliæ: Quos vero hæ habeant Austregarum Iudices Georg. Schubh. *d. loco.* Item Linnaeus *de Jure publ. Imperii Rom. lib. 9. c. 5.* & alii referunt.

VII.

Cavendum tamen est, ne cum his Civitatibus Austregis confundatur Jus consultandi, seu potius provocandi, quò gaudent Cives Stralsundenses & Rostochienses ad Amplissimum Senatam Lubecensem provocantes; cum Illæ totius civitatis sint, Hoc singulorum; illæ primæ Instantiæ, hoc locò Appellationis; etiamsi nullæ compulsoriales, nec inhibitiones decernantur; sed, factà requisitione, acta sint edenda, alias Superior adeatur.

VIII.

Originem harum Specialium Austregarum quod attinet, cum de ea nihil certi constet, satis tamen appareat, ante Imperatoris Maximilianæ Ordinationem illas in usu fuisse, Consuetudini ac longæ observantiæ eam adscribendam esse puto.

IX.

Habent verò efficaciam suam hæ Austregæ ex ordinatione Cameræ; quando quidem in ea expressè sancitum, quod illi, qui Speciales seu Conventionales habent Austregas, iis debeant uti. *Ordin. Cam. parte 2. tit. 2. in princ.* Welche sonderliche gewillführte rechtliche Austräge gegen einander haben/der sollen sie sich laut der selben/ gegen einander gebrauchen: Welche aber dieselbige Austräge gegen einander nicht hätten/ soll &c.

X.

Ex quibus patet, quod Speciales Austregæ, tanquam Lege Imperii confirmatæ, omnino observari debeant; imò primatum præ reliquis Communibus sibi vendicent, iisque merito sint præferendæ; adeo ut Actor, his non attentis ac prætermisis, coram communibus agere volenti, exceptio nullitatis & incompetentiæ opponi possit.

XI.

Cum verò Austregæ Speciales normam ac formam suam, vel ex Conventione Partium, vel ex observantia habeant, proindeq; quoad processum variant, certis regulis includi non possunt. Hoc tamen probe notandum, nec silentio prætereundum est, quod in novissimo Recessu Imperii, de Anno 1654. Ratisbonæ, ad instantiam Statuum expressè sancitum, ut Imperator dehinc Austregarum privilegium nulli, qui illud antehac non habuit, concedat, aut impertiat, §. *Weiln auch der Stände privilegia*, 109. *in fine*.

XII.

Austregæ Communes sunt Judicia, in quibus certorum Ordinum Imperio Romano immediate subjectorum, res controversæ in prima instantia, juxta formam & modum in ordinationibus Imperii præscriptum, examinantur & deciduntur.

XIII.

Dicuntur ab aliis Legales, quod Lege, seu Constitutione sint introductæ; cum verò & Speciales, seu Conventionales eo nomine venire possint, propterea quod eadem lege, ut antea fuit ostensum, sint comprobatæ, juxta §. 1. *Instit. de Obligat. it. §. 3. de Action.* Malui eas appellare Communes.

XIV.

Uti prædictas Speciales Austregas, quoad originem primævæ Germaniæ Consuetudini; ita has Communes Imperatori Maximiliano I. acceptas fero: utpote qui Anno 1495. in Comitibus Wormatiensibus eas primum constituit, quas Carolus V. Anno 1521. adauxit & extendit, additis nonnullis modis in gratiam Prælatorum, Comitum & Nobilium, ne nimia inter hos & Principes, ejusdem Imperii membra, ratione fori esset disparitas. Conferantur Ordinationes Camerae de prædictis annis, ut & Anno 1555. in quibus genuina materiæ hujus sedes.

XV.

Ratio verò hujus Constitutionis, cum in Ordinatione Camerae non sit adjecta, vulgò hæc consignata legitur: ut Proceres Imperii suis negotiis plures unâ habeant instantias, & hæc in parte non deterioris sint conditionis, ac eorum subditi, & mediati Imperii Cives, duabus ad minimum, vel tribus instantiis gaudentes, quibus jura sua diversis vicibus explanare, non deducta deducere, non probata probare possunt. Cum

alias

aliás dicti Proceres, sive ipsorum causæ minoris sive maximi essent ponderis; Camera, vel Aulam Imperatoris statim adire & unicâ instantiâ, nullò Appellationis beneficiò fruētēs, contenti esse cogereutur.

Atq; hanc Austregarum veram esse causam, quamvis Limnaeus & alii negent, Ipse Imperator Carolus V. tanquam LL. & privilegiorum optimus interpretes juxta *l. ult. §. 1. C. de LL.* in privilegio Reipublicæ Norimbergensi 6. Julii anno 1540. concessio attestatur, cujus verba, cum non modo ad confirmationem hujus & proxime præcedentis thes; verum etiam ad materiæ hujus dilucidationem maxime conducant, huc adicere non pœnitebit: **Wiewol auch in Unsern und des Heil. Reichs gemeinen Rechten und Constitutionen außdrücklich geordnet und zugelassen / daß ein jeder / wider den in erster Instanz ein Gerichtlich Endurtheil / dadurch er sich vermeint beschwert zu seyn / zu zweyen mahlen provociren und appelliren / und also umb eine Sach drey instanz gehalten / damit in der andern Instanz dasjenige / so in der ersten / und dritter das / so in der andern Instanz unterlassen / eingebracht / und vorgeschrochene beschwerliche Urtheilen gebessert / wiedertrieben und reformiret werden mögen. Darauß dann durch weyland den Allerdurchleuchtigsten Fürsten / Kayser Maximilian unsern lieben Herrn und Ahnherren / hochlöblicher Gedächniß / im vierzehnhundert und fünff und neunzigsten Jahre / und durch Uns / auch Unsere des Reichs Churfürsten / Fürsten und andere Stände des Heil. Reichs / im fünfzehnhundert und ein und zwanzigsten Jahre / zu Wormbs / verordnet / Vorsehung gethan und verabscheidet / welcher massen und für wem Churfürsten / Fürsten / Grafen / Freyen unnd andere Uns und dem H. Reich ohn mittel unterworffen / in erster Instanz beklagt werden / Damit sie zum wenigsten zwo Instanz und ihnen die Gurthat und Hülffe der appellation also wol / als denjenigen / so dem Reich nicht ohne mittel unterworffen / vorbehalten und unbenommen bleibe etc.**

XVI.

Austregæ hæc competunt certis Ordinibus immediatè Imperio subjectis, quorum quidam Status sunt, quidam non. Et in Ordinatione Camerae parte 2. tit. 2. 3. & seqq. in duas quasi Classes distribuntur.

XVII.

Ad Primam Classem pertinent Electores, Principes & Principali dignitate illustres, tam Ecclesiastici quam Seculares, Churfürsten / Fürsten /

XVIII.

Hi semper Austregarum beneficio fruuntur, sive Actor ejusdem
sit Ordinis, sive Inferionis; mediatè aut immediatè Imperio subjecti.
Et quamvis de Extraneo Doctores inter se disceptent, Ordinatione Ca-
meræ nullam hujus rei mentionem faciente, fortean quod hic calus
rarò contingat, leges autem de iis disponant, quæ ut plurimum eveni-
unt l. 3. 4. 5. & 6. ff. de LL. Cum verò Actor teneatur sequi forum Rei
juxta l. 2. & 5. C. de Jurisd. nec distinguatur utrum forum illud Com-
mune, an privilegiatum sit, Affirmativam merito amplector.

XIX.

Gaudent verò Austregis Principes Seculares omnes & singuli,
etiam ii, qui non regentes, seu gubernationi non præsent, die nicht re-
gierende Fürsten seyn / per textum generalem in Ord. Cam. part. 2.
tit. 2. 3. & 4. Est enim Austregarum Jus magis personale, quam reale.
Et in Germania sanguini ac generi plurimum tribuitur, unde personæ,
etiamsi territoriò careat, nihilominus competit. Nec male hoc ad
Eorundem Uxores & Liberos extendi puto.

XX.

Ecclesiastici tamen non simpliciter quàm Ecclesiastici, sed quàm simul
Principes Imperii sunt, hoc jure fruuntur. Duplicem enim sustinere di-
cuntur personam, Ecclesiasticam & Secularem; Duplicem quoq; Juris-
dictionem habent. Hoc qui ipsis denegare student, memores sint præ-
clari Conestalli dietarii: Quod nimis præsumptuosum sit disputatione
scholastica s. cathedrali, quàm nec Ducatus vel Dominia dari aut adimi
possunt; Eis veteris dignitatis terminos pervertere velle.

XXI.

De Episcopis qui canonicè electi, vel postulati, nondum verò in-
vestituram ab Imperatore sunt consecuti, utrum privilegiatis his Instan-
tiis gaudeant, nec ne? magna controversia est. Ego Affirmativam de-
fendere conabor.

XXII.

Sic Domini Capitulares Majoris, seu Cathedralis Ecclesiæ, (eines
hohen Stiffes) cum Sede vacante defunctum Episcopum & simul fu-
turum Successorem representant, ac penes illos, tanquam Ecclesiæ he-
redita-

hereditarios, feuda Imperii, dignitatem Principalem tribuentia, perpetuo maneant, non modo ad universales ac particulares Deputationum, Visitationum, Revisionum aliosq; Imperiales Conventus vocantur, & suffragii jure ibidem gaudent; verum etiam hoc Austregali judicio fruuntur.

XXIII.

Notandum tamen, quod Austregis non sit locus in iis, quæ Electorum & Ecclesiasticorum Officium concernunt. Quæ enim certi sunt officii & collegii, commune tribunal non ingrediuntur. Sic Canonici, quatenus tales, coram Capitulo, vel Episcopo, quatenus verò Principes, vel Comites, coram Austregis respondent. Nec novum, aut inauditum est diversos respectus in unam eandemq; personam cadere.

XXIV.

Ad alteram Classem referuntur Prelati, Comites, Barones & Nobiles Immediati: quibus tamen Austregæ ita demum competunt, si à Privilegiatis Primæ, vel etiam hujus Secundæ Classis personis conveniantur, *Ordin. Cam. p. 2. tit. 3. & 5.* Si verò à Civitatibus Imperialibus, vel etiam Mediatis Imperii civibus actione petantur, in Camera, vel Judicio Aulico Cæsareo conveniendi; nisi contrarium longo usu observarum reperiat.

XXV.

Civitates autem Imperiales, quamvis maximè Status Imperii sint, jus territoriale in suis ditionibus habeant, ad Comitia generalia & specialia vocitentur, Votò ibidem decisivò, & aliis Regalibus plurimè gaudeant, Privilegiatis tamen his Instantiis excluduntur passivè, quando nimirum ab aliis conveniuntur, quod in Camera, vel Aula Cæsarea fieri oportet, non verò activè, cum *Ordinatio Camera part. 2. tit. 4. in princ. & fin.* earum expressè mentionem faciat.

XXVI.

De Causis ad Austregas pertinentibus, nec ne, magna contentione disceptant Doctores. Cum verò constet, Procures Imperii per hoc Austregarum Judicium, quoad primam instantiam solum à Camera Spirensis judicio eximi, & non modo in casibus protractæ, vel denegatæ justitiæ *Ord. Cam. part. 2. tit. 2. §. fin. & tit. 4. §.* Dieselbe neun Rache; verum etiam, si sententia ab Austregarum Judicibus lata forsan, ut iniqua, sit reformanda; aut justa, nonnunquam exequenda; ad Camera

B

veni-

veniendum esse, concludo, Austregas eas duntaxat causas, quas Jurisdic-
tio Cameralis non respuit, foro suo mancipare; nec causas exem-
ptas alterius generis qualitatise esse posse, quam sunt illæ, in quibus Ca-
mera alias competens est Judex. Quod si verò causæ ad Camerae Ju-
risdictionem singulariter non pertineant, vel etiam causæ Camerali
judicio subjectæ ab Austregis sint exceptæ, his Judices Austregarum
non immerito repelli.

XXVII.

Hinc ergo causas Civiles ad Austregas pertinere nullus dubito
cum & Ordinatio Camerae de Anno 1495. sub tit. Wie Prelaten/ Gra-
ven &c. hoc satis innuat.

XXVIII.

Non autem ad Austregas pertinent causæ Criminales, præsertim
pœnas corporis adscriptivas secum ferentes; die Leibstraff auff ihnen
tragen; cum earum cognitionem Camera non habeat, Ord. Cam. par. 2.
tit. 28. § Item nachdem auch dem alten herbrachten Gebrauch; nisi in
eo casu, ubi ipsi in specie data, videlicet quando Personæ Camerales
delinquunt, aut querela nullitatis super facto criminali intentata, Ordina-
Cam. part. 1. tit. 50. §. fin.

XXIX.

Nec causas Matrimoniales, quæ de substantia matrimonii tra-
ctant, Austregas in forum suum recipere puto, cum Imperatorem
maximilianum illas ad Austregas non voluisse referre, omnino persuasum
mihi habeam. Quamvis tanta DD. hac dere sit disceptatio, ut etiam Ca-
sarea decisione opus esse, nonnulli expresse dicant.

XXX.

De feudalibus causis non minor concertatio inter DD. quam ra-
men distinctione enodari posse existimo, de qua, cum bono DEO, in
discursu.

XXXI.

Hoc certum, quod de feudis, Regalem dignitatem annexam ha-
bentibus, ipse Imperator judicet, ac ea Camerae & consequenter Austre-
garum jurisdictione exempta sint, perexpressum textum Ordina. Cam.
part. 2 tit. 7. Ob auch Sachen fürstlichen/ Fürstenthumb/ Herzogthumb/
Graffschafft etc. belangend/ so vom Reich zu Lehen rühren/ so einem theil
gänglich und endlich abgesprachen werden solten/ derselbigen Erkennniß
wo llen

wollen wir der Kayserl. Majestät hierin / doch sonst in andern Sachen dieser Ordnung unabbrüchig / vorbehalten haben. Junge-*Constit. Regi-menti de anno 1521. §. Ob auch Sachen &c.*

XXXII.

Sic Imperator, vigore Capitulationis Cæsareæ, in causis *novorum* *retoniorum*, quando Electorum aliquis Actor, vel Reus, solus exclusâ *Camera* exclusisq; Austregis cognoscit, videatur *Capitulatio Imperatoris Marthiæ art. 23. Capitul. Ferd. II. art. 22. Ferd. III. art. 25. Ferd. IV. art. 24.*

XXXIII.

In causis etiam Privilegii Cæsarei, si de privilegii intellectu quaestio moveatur, cum ejus sit legem interpretari & declarare, cujus est condere, juxta *c. cum venissent 12. X. de Judiciis. l. ii. & 12. C. de LL. Imperator solus cognoscit, nec Austregæ attenduntur, videatur ea de re Rescriptum Imperatoris Rudolphi II. de Anno 1591. 9. Aug.* Quando vero de violato privilegio, & ad pœnas eidem privilegio insertas agitur, in Camera etiam decernitur citatio ad videndum se incidisse in pœnas privilegii *Gail. 1. Obs. lib. 1.*

XXXIV.

Ad Camera[m] v. Imperii in specie, exclusis austregis, pertinent Causæ *Fiscales*, quæ olim ad Rationalem Cæsaris. *l. 5. C. ubi causæ Fiscales. Spectabant*, hodie ad Camera[m] per Procuratorem Fisci, consilio & autoritate duorum Adfessorum *Cameralium*, deferuntur; juxta *Ordin. Cam. part. 2. tit. 20. in pr. & fin.* Causæ *fractæ Pacis*, tam Religiosæ, juxta *Recess. Imperii de Anno 1555. §. Wir befehlen und gebieten auch* quam profanæ, *Ord. Cam. part. 2. tit. 9. & seqq. & tit. 20.* Causæ *Pignorationum*, *Ord. Cam. part. 2. tit. 22.* Item *Arrestis*, vid. *Recess. Imperii Spir. de Anno 1570. §. Wann auch die Arresta.* Causæ in quibus mandata sine clausula decernuntur, vulgo ad *quatuor casus*, *Auff die vier Fäll* dictæ, de quibus vid. *Ord. Cam. part. 2. tit. 23.* Causæ *Litigiosæ possessionis*, juxta *Ord. Cam. part. 2. tit. 21.* *Constitutionis ex L. Diffamari: Ord. Cam. part. 2. tit. 25.* *Relaxationis juramenti ad Effectum agendi Ord. Cam. p. 2. tit. 24.* *Nec non in causis denegata, vel protractæ justitiæ Ord. Cam. p. 2. tit. 26.*

XXXV.

Præterea docent *Practici* de stylo Camerae, qui pro lege habendus, *Austregas* locum non habere in petenda *Commissione* ad perpetuam rei memoriam, *Andr. Gail. lib. 1. Obs. 1. num. 10. item Obs. 93. n. 2.* Nec non

in causis Tutelas & Curatelas spectantibus h.e. quando de constituendis & confirmandis tutoribus & curatoribus agitur, *Gail. d. Obs. 1. n. 47.* In causis Alimentorum *Thom. Mich. de jurud. Conclus. 37. lit. f.* quoniam super alimentis summarie & de plano procedendum, adeo ut eorum causa etiam diebus festis expediri possit *l. 2. de Feriis & Dilation.* In Causis Executivis, *Autor præjudic. Cámer. verb. mandata de solvend.* Item ob continentiam causarum, quæ non debet dividi & coram diversis iudicibus agitari, *juxta l. nulli. 10. C. de Judicis. Gail. d. Obs. 1. num. 22. & Obs. 37. lib. 1.* Quamvis hoc modo nonnunquam fraus possit fieri Austregis.

XXXVI.

Ordo jam postularet, ut Austregalis iudicii modum ac processum, qui pro varietate personarum variat, huc adicerem: cum vero ea omnia planissime ex ipsa Ordinatione *Camerae parti. 2. tit. 2. ac seqq.* cuius constare possint, summò quasi digito unum atq; alterum attingam.

XXXVII.

Constat ex superiori thesi 16. quod personæ Austregarum iudiciò fruentes, in duas classes, seu ordines fuerint distributæ, quarum I. Electores, Principes ac Principali dignitate præditos, II. Prælatos, Comites, Barones & Nobiles immediatos continet. Jam doctrinæ ac facilioris intellectus ergò, tertiam classem seu ordinem, Civitates Imperiales, ac immediate subjectos cives comprehendentem, adjungam, qui tamen regulariter non passive, ut *REI*, sed active, ut *ACTORES* ad Austregarum hoc iudicium pertinent.

XXXVIII.

Si jam primæ classis personæ contra ejusdem ordinis Personas agere velint, gaudent privilegio primarum Instantiarum, juxta formam in Ordinatione *Camerae parte 2. tit. 2.* præscriptam: Quæ agere volens adversario specialibus Austregis non fruenti, (quas alias adire necesse habet) causam, sive litem statim scripto comprehensum transmittit, jus iudiciumq; desuper postulando; (mit *Ersuchungsbm datumb rechts in pflegen*). Qui ita requisitus, actori intra quatuor proximas à litem denunciatione, hebdomades quatuor Electores, Principes, vel Principali dignitate illustres, ac Rerum gubernacula tenentes, partim Ecclesiasticos, partim Seculares, ex diversis familiis oriundos, nominare tenetur, ex quibus Actor nnum in Iudicem eligit, electum Reo similiter intra 4. septimanas, à facta Principum nominatione computandas; per literas signi-

significat; quem uterq; intra quatuordecim dies pro suscipienda causa & præfigendo termino requirit; atq; hic causam non detrectare; sed suscipere ac jure decidere debet, *Ordin. Cam. dict. p. 2. tit. 2.*

XXXIX.

Si Judex electus ante causæ decisionem vitæ, vel imperiõ defunctus, juxta Ord. Cameræ *d. l. §. darauff in fin.* alius ex tribus reliquis nominatis ab Actore eligendus, coram quo processus continuetur. Hodie tamen coram successore Principis ex litigantium beneplacito continuari consuevit.

XL.

Atq; hæc ita obtinent quando prædictæ primi ordinis personæ se invicem conveniunt. Si vero Hæ secundi ordinis personas judicio pulsare cupiunt, duplex modus in *Ordin. Cam. d. p. 2. tit. 3.* præscribitur, ex quibus Princeps acturus, quem voluerit, eligere potest. Aut enim ab Imperatore Commissarium, Virum, Principem, non suspectum, nec ultra duodecim milliaria à Rei domicilio distitum, impetrat, coram quo secundum ordinationis formam, causa pertractanda. Aut Princeps à dicto secundi ordinis Reo postulat sibi denominari tres Principes non suspectos, nec ultra duodecim milliaria habitantes, ex quibus Actor unum eligit, coram quo, juxta ordinationem, processus instituuntur.

XLI.

Si secunda classis personæ, Prælati, Comites, Barones, Nobiles immediati inter semetiplos litigare velint, similiter duas Austregarum vias habent. Vel enim tres Principes, qui non suspecti, nec ultra 12 milliaria ab Actore habitant, à Reo denominantur, ex quibus Actor unum eligit, qui locò deinde commodo diem judicii statuat. Vel si hæc via minus arrideat, Commissarius non suspectus à Cæsarea Majestate pro decidenda lite petendus. Qui utriq; juxta modum in *Ord. Cam. part. 2. tit. 4. vers. Sum britten*, expressum, procedere debent, *Ord. Cam. p. 2. tit. 5.*

XLII.

Quando autem Hæ secundi ordinis Personæ Electori, Principi, aut Principali dignitate corruscanti dicam scribere cupiunt, integrum est Actori unum, quem velit, ex illis octo modis in *tit. 4. Ord. Cam. p. 2.* propositis eligere, nec Princeps conventus illum declinare potest, *§. pen. item es soll d. r. 4.* Nisi fortean se contrarium ex certo privilegio, vel longa consuetudine acquisivisse, excipiat, idq; ad Rei instantiam probet, *Ord. Cam. tit. 6. §. fin.*

XLIII.

Ex octo modis seu viis istis, quæ in ordinatione Camerae *part. 2. tit. 4.* ordine recensentur, indeq; peti possunt, duas ut plurimum, videlicet tertiam de nominandis tribus Principibus, & quartam de impetrando Commissario Cæsareo, in praxi exerceri, docet Schwann; *lib. 1. Process. Cameral. cap. 3. in fin.*

XLIV.

Non autem secundæ classis personæ tantum hos in conveniendis primæ classis personis præscriptos modos observare tenentur; verum etiam civitates, Imperiales æquæ ac Provinciales; imò quilibet mediata, Nobilis, civis, vel rusticus contra Electorem, Principem, vel Principali dignitate illustrem agere volens iis uti debet, juxta expressum textum in *Ord. Cam. part. 2. tit. 4. §. fin.* Quamvis secundæ classis personas, non attentis Austregis immediate in Camera convenire possint.

XLV.

Contra primæ classis personæ Civitates Imperiales, ut & proprias civitates suas, (nisi quo ad has specialiter quid introductum) coram Camera, cæteros Mediatos vero coram ordinario suo Magistratu convenire tenentur, *Ordin. Cam. part. 2. tit. 27. & tit. 1.*

XLVI.

Cur autem tam diversè hæc constituta sint alii aliam rationem adferunt. Quicquid sit, sufficit ita esse constituta, nec tamen eapropter, quod genuina ratio nos lateat, minus autoritatis obtinebunt, argum. *l. non omnium. ff. de LL.*

XLVII.

Pro cautela ergo illi, quibus hæc minus arrident, observent, ut non facile ad intentandas Actiones prorumpant, verum si causa necessario ad judicem deferenda, videant, ut adversarium Actorem constituent, daß sie gegenheil zum Kläger machen, qui ipsorum forum sequi necesse habebit.

XLVIII.

Qua ratione etiam ad requisitionem Actoris Judex secundum has constitutiones a Reo proponi possit, ita ut salva sit declinatoria, monstrat Modestinus Pistor, ac dicit hoc fieri debere cum protestatione de non consentiendo neq; prorogando Jurisdictionem, nisi quatenus quis de jure teneatur, idq; usu obtinere exemplo Serenissimi Ducis Holsatiæ Adolphi

Adolphi, Capitulo Hamburgensi taliter Judicem proponens, compro-
bat *Illustr. quest. p. 2. quest. 88.*

XLIX.

Est quoque cautela utilisissima pro Actore, ut, si Commissarius ab Imperatore impetrandus sit, plures commissarios simul nominet, ac petat illis conjunctim & separatim procedendi potestatem concedi, idque commissioni inferi. Sic enim mortuo uno, lite adhuc pendente, alter nihilominus procedere potest. Alias de novo alium nominare novamq; commissionem novis impensis multo cum temporis dispendio extrahere cogetur. Prout *Christoph. Schvannmannus in Processu suo Camerali ex modo dicti Pistorii Consilio 30. num. 27. monet.*

Pro Principe quoq; notandum, quod illi a Nobili, aliove privato, vigore hujus ordinationis requisitus, in nominandis tribus Principibus tam præcise omnia observare non teneatur, ac si ab alio Principe esset requisitus, idq; jure novo, de quo videatur Deputationis Recessus Spiræ de Anno 1600. §. Und nach dem die &c.

Judex Austregarum rite a Partibus juxta ordinationem requisitus ac electus, nisi mandatis poenalibus cogi ac compelli velit, hoc Legibus Imperii injunctum munus nullatenus detrectare aut recusare; verum tanquam Imperialis Commissarius, vigore commissionis Cæsareæ, suscipere, diem & terminum judicii sine cunctatione constituere, causamq; legitime discutere & examinare debet, *Ordinat. Camer. p. 2. tit. 4. §. Darauff.*

Modus procedendi in his Judiciis debet Juri Communi, Ordinationi Camerae & Recessibus Imperii conformis esse, non attentò, quod in Judiciis electi territorio alius obtineat, aut in usu sit. Habet vero modus octavus in Ordinatione Camerae *p. 2. tit. 4. §. Züm achten proposirus;* nec non titulus octavus *d. part. 2. Ord. Cam. de simplici spolio agens,* multa singularia ab Austregarum Judicibus observanda.

Est quoque Judicii huic certum tempus præscriptum, & quidem *semestre,* à die inchoati Judicii computandum; si vero justæ & relevætes causæ adint, annus & dies. *Ord. Cam. p. 2. t. 4. §. Dieselbe ibid. Und sol solch Rechts.*

LIV. Po-

LIV.

Potest vero Austregarum Judex sententiam ipse ferre, nec tenetur acta ad Consilium Prudentum transmittere. Quod si vero consiliarii fuerint electi Austregarum Judices, mittunt illi, consentientibus partibus, causam conclusam ad Universitatem non suspectam pro concipienda sententia, quam postea suo nomine pronunciant, *Recess. Spir. de Anno 1570. §. In unserm Cammergerichts Ordnung.*

LV.

Admittitur tamen in hoc Judicio Appellatio, *Ord. Cam. p. 2. tit. 6. in pr.* dummodo legitime interponatur, & summa, quæ novissimo *Recessu Imperii de Anno 1654. §. Viertens sol die*, ad quadringentos Imperiales extensa, appellabilis sit. *Ord. Cam. p. 2. tit. 2. §. Darauff. Nec non Reconvencio* admittitur, exceptis tamen nonnullis casibus, quos in *tit. 4. Ord. Cam. p. 2.* videre licet. Executionem vero sententiæ ab Austregis latæ quis habeat, dubitant; Georg Schubhard *in d. tractatu de Austreg. c. 6. n. 202.* illam Judicibus Austregarum competere dicit, Practici vero ad Cameram eam pertinere docent, partim per textum in tit. 2. §. Und so das Urtheil p. 2. Ord. Cam., partim per observantiam, videantur *Gail. 1. Observ. 1. n. 52. Mindan. de process. lib. 1. c. 19. n. 7. Tennagel. de process. Camer. c. 17.*

LVI.

Inter Effectus vero Austregalis Judicii præcipuum esse puto quod non solum Camera; verum etiam Judicii Aulici Casarei jurisdictionem restringat ac quiescere faciat. Et quamvis in hoc ultimo multos mihi contradicentes sciam; nihilominus iatreptide illud affirmo, ac rationes meas (cum eas adscribere angustia chartæ non permittat) colloquio refero.


LVII.

Cessant v. Privilegiatæ hæ Instantiæ I. Si ius gaudens recovenitur a mediato convento per *l. 22. ff. de Judicis*. II. Si privilegio Austregarum sit renunciatum, quod omnino fieri potest per *l. pen. C. de Part. Exempla* vide in *O. C. p. 2. t. 8. §. Und darumb. it. Recess. Aug. de Ao. 1548. §. Nachdem sich auch*. III. Si Reus non satisfacit formæ in Ordinatione præscriptæ, quo casu directò ad Cameram causa deduci potest. *O. C. p. 2. tit. 4. §. Und sollen*. IV. Si ob perpetratum delictum in bannum Imperiale est declaratus. V. Si cum Reo privilegiato alius hujus privilegii incapax concurrat, Videatur *Deputat. Reccessus Spir. de Anno 1600. §. Gleichermassen, ut & §. bey unserm Cammergerichts &c.* Quæ omnia plenius tractare Disputacioni præscriptus modus non permittit. Tantum ergo hac vice.

DEO TRIUMI SIT LAUS, HONOR ET GLORIA.

1650

in fine
aut s. p. 20
in fine



significat; quem uterq; intra quatuordecim die
& præfigendo termino requirit; atq; hic causa
fufcipere ac jure decidere debet; *Ordin. Cam. di*

XXXIX.

Si Judex electus ante causæ decisionem
ctus, juxta Ord; Camerae *d. l. s. darauff / in fin*
nominatis ab Actore eligendus, coram quo pro
ditè ramen coram successore Principis ex litigant
nuari consuevit.

XL.

Atq; hæc ita obtinent quando prædictæ p
invicem conveniunt. Si vero Hæ secundi ordin
fare cupiunt; duplex modus in *Ordin. Cam. d.*
ex quibus Princeps acturus, quem voluerit, elig
ab Imperatore Commissarium, Virum Principe
ultra duodecim milliaria à Rei domicilio distit
secundum ordinationis formam, causa pertract
cto secundi ordinis Reo postulat sibi denominat
spectos, nec ultra duodecim milliaria habitantes
eligit, coram quo, juxta ordinationem, processu


XLI.

Si secunda classis personæ, Prælati, Con
immediati inter semetipsos litigare velint, sum
vias habent. Vel enim tres Principes, qui non
milliaria ab Actore habitant, à Reo denominan
num eligit, qui loco deinde commodo diem ju
via minus arrideat, Commissarius non suspectus
decidenda lite petendus. Qui utriq; juxta modu
tit. 4. vers. Sum britten / expressum, procedere de

XLII.

Quando autem Hæ secundi ordinis Persona
Principali dignitate corruscanti dicam scribere
Actori unum, quem velit, ex illis octo modis in 7
positis eligere, nec Princeps conventus illum d
item es soll / d. r. 4. Nisi fortean se contrarium e
longa consuetudine acquisivisse, excipiat, idq; ad
Ord. Cam. tit. 6. s. fin.

B 3



the scale towards document

da causa
are; sed

o defun-
s reliquis
tur. Ho-
o conti-

persona se
cio pul-
cibitur,
aut enim
um, nec
am quo
ceps à di
s non su-
or unum

Nobiles
regarum
ultra 12.
Actor u-
el si hæc
state pro
part 2.
part 3.
part 4.

ncipi, aut
gram est
2. pro-
s. pen-
gio, vel
probet,

XLII.